

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0767

0765

0771

0761

0776

0756

0816

0716

0866

0666

0266

Ende

Anfang

194

res comparatas ordinavimus ad aequalia pondera. Quo facto
descendi cum eis, et cum venissemus ad arcem David, de qua
superius fol. 104 A. facta est mentio, stetimus et castrum ipsum
inspeximus. Cum autem castellani filius videret nos subsiste-
re, signavit manu, ut, si placeret, possemus eum sequi et
arcem ab intus videre. Secuti ergo sumus juvenem et per pontem
fossati transivimus, et prope portam habet pontem in catenis
dependentem, qui potest sursum erigi et demitti. Induxit
autem nos per duas portas ferreas usque in curiam castri, in
qua sedebant foeminae et suebant, (253 A) quae, dum nos vi-
dissent, operuerunt vultus suos et absconderunt. Duxit autem nos
juvenis sursum super muros et turres, et ad omnia habitacula
per circuitum, et mirati sumus de spissitudine murorum et
multitudine turrium per gyrum. Est enim aedificatum ad
modum munitorum castrorum in Alemannia cum muris, moe-
niis, et foraminibus multis machinarum, et est situm super
prominentem petram in occidentali parte montis Syon, et habet
ab austro profundam vallem, quae dividit montem Syon a
monte Gyon et ascendit a torrente Cedron usque ad agrum
fullonis. Ab occidente etiam vallem habet, quae quondam
profunda vorago erat, sed iam quodammodo est repleta et per
gyrum habuit profunda fossata, quae, quia non mundantur,
replentur, et jam castellanus hortum olerum plantavit in parte
orientali. Hoc tamen non obstante nihil est tam forte et mu-
nitum in tota Hierosolyma sicut hoc castrum. Porro an hoc
castrum sit illud, quod Scriptura nominat arcem Syon vel
arcem David, diversi diversa tradunt; hoc tamen scimus, quod
David munivit montem Syon, et civitas montis dicebatur ci-
tatis David, quae quandoque tota nominatur arx David, uti 2.
Reg. V. Singulari tamen respectu notavi tria loca, in quibus
fuerunt turres et muri fortes montis Syon. Primus est in
orientali parte, ubi stat Conventus fratrum. Et ibi nullum est
dubium, quin tabernaculum David fuerit, in quo arcam Do-
mini collocavit, et suum habitaculum, de quo habetur 1. Paral.
17. Secundus locus est in occidentali parte montis Syon, in
quo stat hoc, de quo nunc loquimur castrum. Tertius
vero locus est non in monte Syon, sed ex opposito illius
arcis, contra occidentem supra civitatem Jerusalem, prope

